



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus De Regimine Ecclesiae Episcopalis In Octo Libros Distributus**

**Antonelli, Giovanni Carlo**

**Velitris, 1650**

A quo puniri debeat Vicarius Episcopi delinquens in officio. Cap. XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11401**

Observat tamen *Cl. in S. fin. q. 41. vers. sed quid dicendum*, & alij communiter, quod non potest Papa iurisdictionem ordinariam conferre principibus laicis in clericos.

- 10 Quæres, an Monachus, seu Regularis possit esse Vicarius Episcopi? Resp. affirmatiue de licentia tamen sui superioris, dummodo non sit ex ordine mendicantiũ *Franc: Marc. decis. 999. & decis. 1285. par. 1. quem refert Ricc. in collect. dec. 2485. par. 6. & in Prax. for. eccles. par. 2. ref. 351.*

## S V M M A R I V M:

- 1 Vicarius Episcopi quando puniatur ab ipso Episcopo, & quando à Metropolitano.
- 2 Vicarius qualis constituendus sit.
- 3 An expediat, ut Vicarius Episcopi sit ciuis.

## C A P. XI.

A quo puniri debeat Vicarius Episcopi delinquens in officio.

- 1  Vicarius Episcopi ita delinquat in officio, ut offendat iurisdictionem Metropolitanam, puta si illius iurisdictionem spernat, tunc ab eodem Metropolitano puniatur *cap. 1. de offic. Vic. in 6.* si vero delinquat in officio præiudicando partibus, & iustitiæ, cognitio

& punitio pertinet ad ipsum Episcopum, qui habet facultatem à iure, prout quibus alijs magistratus, coercendi officialem suam appellatione remota *l. nulli officia l. i. C. quor. appell. non recip. Lotter. in tract. de re benef. lib. 1. quest. 22. nu. 100. & seq. quem refert Barbosa. de offic. & pot. Episc. p. 3. all. 54. n. 183.* & tunc priuari potest officio Vicariatus, & officij salario *Ricc. in collect. decis. 2836. p. 7. ubi citat Franc: Marc. decis. 646.*

- 2 Quare Episcopus viros graues, ac doctrina, pietate, & religione præstantes, atque in expediendis litibus, & negotijs diligentes ad huiusmodi officium eligere debet, nè quid eorum incuria succedat, de quo ipse rationem sit Deo redditurus. Vnde non expedit eligere exterum ad Vicariatum, sed ciuem, in quo præsumitur maior fides, ac diligentia, & integritas, *ut d. Sbroz. de Vic. Episc. lib. 1. q. 34. & alij. quos refert, & sequitur Barbosa. d. par. 3. all. 54. num. 2. & 3.* præsertim si ciuis esset vir eminentis scientiæ, ac probitatis: tunc enim cessat suspicio, nè fortè amicitia, propinquitate, gratia, aut meru adductus ius aliquo modo quandoque violaret, minusue liberè diceret: quam ob causam S. Carolus Vicarios externos adhibere solebat, *ut narrat Carolus à Basil. S. Petri in eius vita lib. 7. cap. 36. quem refert Barbosa. ubi supra.*